IN FUNERE
ILLUSTRISSIMI DOMINI
APOSTOLI ZENI
VENETI CIVIS,

Nobilisque Cretensis,

HISTORICI ET POETAE CAESAREI

ORATIO

P. F. HYACINTHI MENEGATTI

Ordinis Prædicatorum Philosophiæ Lectoris,

Habita in Templo Sanctissimi Rosarii pridie Idus Novembres MDCCL.



VENETIIS

APUD SIMONEM OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU.

MDCCL.



I quid a præpotente rerum omnium moderatore DEO Optimo Maximo enixis omnium votis esset optandum, quod in summam totius humanæ reipublicæ redundaret utilitatem, id, arbitror, unum foret, ut Viri quidam eximiis admodum dotibus præfulgentes, ac supra ceterorum hominum conditionem quodammodo evecti, immortali vita fruerentur. At quoniam æterna constantique supremi Numinis lege sancitum fuit, ut homines singuli post certam, magis minusve productam; annorum seriem e vivis tollantur: hinc bene ac sapienter humano consilio statutum est; ut communia vota communis fletus excipiat; ac dolendam maxime; & nunquam satis pro merito deplorandam præclarissimorum virorum jacturam, quæ præpediri non potest, nec valet reparari, publica quædam & solemnis tristitiæ ac mœroris significatio testetur. AEquum id profecto ac sanctum inficiabitur nemo, ut scilicet discernantur optime disparium insigniter hominum diversa merita: neque infimæ notæ & obscuri nominis hominum, ac illustrium virorum, & famæ nominisque claritate præstantium interitum eadem funera subse-

quantur. Quem autem putatis, Auditores, exanimem hic jacere, mox ſepulcro occludendum? Non is hercle vulgaris homo, cujus acerbum fatum intra domeſticos parietes ſit tantum privatæ familiæ, grave damnum perpeſſæ, ſqualore & lacrymis proſequendum: ſed vir præſtabilis maxime, cujus extremus dies, publico bono valde calamitoſus, uberiores multo & publicas querimonias ac gemitus promeretur. Non is item communis homo, cujus nomen & recordatio ſimul cum cineribus oſſibuſque ſit funebri lapide ac ſepulcri tenebris obruenda: at vir ſane eximius, cujus nominis fama adhuc poſt innumera ſecula ſuperſtes erit cum gloria & laude conjuncta, immo nulla futuri temporis oblivione delebitur, quin immortalis ad poſteritatem omnem devólvatur. Jam ſentit Urbs hæc noſtra amiſſum ornatiſſimum civem, quo incola non immerito gloriabatur, aliiſque permultis erat invidiæ cauſſa: extinctum dolet Italia ac maxima Europæ pars eruditiſſimum virum, ſive, ut verbis Græcorum Oratorum Principis utar, ἄνδρα γνωριμώτατον, καὶ ὀνομαστότατον, καὶ ἐνδοξότατον ἐν ταῖς πόλεσι, τὸν παιδείας ἀληθῶς τετυχηκότα, ex quo honoris & ornamenti plurimum ſemper perceperat: literaria tota tandem reſpublica præclariſſimum ſibi

decus luget ereptum, a quo splendorem suum noverat magis auctum, suamque gloriam semper amplificandam deinceps sibi pollicebatur. Neque ad leniendam tantam doloris acerbitatem valet cogitatio, eum sibi satis vixisse, qui ad tertium usque supra octogesimum annum vitam perduxit, &, quod mirum est, otiosam numquam, sed studiorum laboribus semper districtam: cum ad acuendum immo luctuosissimæ jacturæ sensum verior cogitatio altera subeat, satis ipsum nequaquam vixisse & aliis, & literariæ præsertim reipublicæ, quem in aliorum utilitatem, in literariæ ejusdem reipublicæ beneficium, decus, & incrementum semper vivere oportuisset. Quoniam igitur ipsum diro fato sublatum conspicimus omnes, omnes dolemus, mihique, licet invito ac frustra obsistenti, arduum & difficillimum hac die dicendi munus commissum fuit; non ego universa & singula, quæ merito essent in tanti Viri commendationem promenda, oratione complectar: sed pro constituta mihi temporis brevitate & dicendorum copiæ, & orationi modum imponens, fore satis opinor, si ipsum in utroque eruditionis ac pietatis genere præstantissimum extitisse, atque adeo utroque hoc honorificentissimo eruditionis ac pietatis titulo celebrandum ostendero. Quod si

oratio mea non talis evadet, qualem & mea vota, & expectatio vestra, & summi Viri præcelsa merita exposcerent, quæso vos obtestorque, Auditores, ut hoc unum mecum sentiatis, & me imparem omnino fuisse APOSTOLI ZENI laudibus persequendis, & solum fortassis similem illi virum ejus extollendis præconiis parem fuisse futurum.

CUM probe noverint æquissimi rerum æstimatores ornamenta illa omnia, quantumlibet spectatissima, quæ aut ex vetusta familiæ nobilitate, aut ex majorum præclare factis proficiscuntur, vel parvi esse facienda, vel omittenda penitus, dum homines ad potiora alia decora conquirenda, ad præstabiliorem comparandam sibi gloriam semper intentos laudibus exornare contingit: plurima mihi, de APOSTOLO ZENO dicenti, integro sunt prætereunda silentio, quæ aut alienas redolerent laudes, aut nimio studio & arte quæsita videri possent commendationis subsidia; cum ipse egregiis suis dotibus ac promeritis locupletissimam orationis copiam suppeditet. Non ergo illustre hujus Viri genus occurrat, ex nobilissimo inter Venetos Patres

ZENORUM ſanguine repetendum ; qūamvis e Patria Urbe Cretam coloniæ cauſſa traducto : at eximium potius obverſetur ingenium, quod ſibi multiplici ſtudiorum genere excolendum propoſuit, ſollicitudine tanta, ut cetera omnia ſemper deſpexerit, facilitate tanta, ut nihil ipſi impervium & inacceſſum evaſerit, tanta demum felicitate, ut fructus ſit uberrimos & ampliſſimos conſecutus. Quamquam vero eo ſe inſtructum ingenio ſentiret, quod in ſummo homine poſtulabat Marcus Tullius, dotibuſque omnibus ab ipſo Oratorum Principe enumeratis præſtaret, videlicet ad excogitandum celeritate & acumine, ubertate ac perſpicuitate ad explicandum ornandumque, ad memoriam denique firmitate ac diuturnitate, ut proinde nihil in toto liberalium diſciplinarum ordine ſibi non poſſet polliceri : optime tamen cautus & prudens, ne per late patentem artium & ſcientiarum omnium provinciam inconſtans excurreret, profanas literas, in quarum ſtudio potiſſimum verſaretur, ſelegit, atque ex eis poeticæ arti & eruditioni præſertim ſtrenuam operam navare conſtituit : eruditioni, inquam, quæ non patruorum ejus dumtaxat, ſed avorum etiam proavorumque, immo totius ZENORUM gentis proprium ac perpetuum fuiſſe conſtat decus & ornamentum,

desuturum numquam, nisi præclara hujusmodi ingenia defecerint.

Quantum autem vel ab ipsa ætate prima ineunte in hoc pulcherrimo literario pulvere desudaverit, quanta animi contentione, quantis virium conatibus, quanta perpessione laborum, quanta vigiliarum frequentia, quanto bonæ valetudinis detrimento, quanta ad extremam usque senectutem assiduitate, quid fari attinet, aut quis potis est enarrare? Satius profecto sit dicere (quod aliorum pace sit dictum) ipsum, eximii hujus stipitis germen postremum, non modo suis patruis, jamdiu ingenti cum gloria demortuis, non solum eximio extincto Fratri, adhuc fama nominis celeberrimo, sed & majoribus omnibus præstitisse, ac tanto insigniorem tulisse palmam, quanto longius omnium splendorem ac multiplicem cognitionem ipse claritate nominis atque eruditionis amplitudine superavit. At non ita solum domesticis antecelluit; quod fortassis non esset in ejus summa laude ponendum: verum & inter exteros plurimos hujus nostræ omni bonarum artium studio florentissimæ ætatis clarissimos viros mirum in modum effulsit; quod maximum utique ejus præconium efficere nemo non intelligit. Quis enim in conquirendis optimorum auctorum libris magis sollicitus

&

& induſtrius? Quis in iis evolvendis magis frequens & aſſiduus? Quis in illis exquiſitiſſime percipiendis magis perſpicax & acutus? Nimirum pro ea, qua pollebat, mentis acie quæcumque in comparatis verſatiſque voluminibus compericbat, ad trutinam revocabat æquiſſimam, ut vera ſeligeret, falſa reſpueret, auctores ab auctoribus ſegregaret, conciliaret diſſidentes, aberrantes negligeret. Ad quod ſane negotioſum præclarum opus non cujuſvis ingenium fuiſſet idoneum, ſed illius tantum, cujus eximia foret in percipiendo facilitas, optima in diſcernendo ſolertia, exquiſita in judicando maturitas. Quis etiam antiquitatis totius ac monumentorum veterum iſto peritior, qui hujuſmodi omnia, ſive obſignata numiſmatis, ſive inſculpta lapidibus, ſive hiſtoriarum libris mandata, inflammato ſtudio, ſedulitate incredibili, cumulatiſſima cognitione permenſus eſt, ut in hoc rerum genere (abſit verbo invidia) parem illi fortaſſis ætate noſtra concipere non ſuccurrat?

. . . , τίς ὁμοῖος; ἢ τίς ἁπάντων,
Τόσσος ἐὼν, τόσσης ἦλε κλέος σοφίης;
Οὔτις ἐπιχθονίων . . . . .

Ipſe locorum varietates, regionum ſitus, rationes temporum, ipſe populorum origines, inſtituta, mores, leges, fœdera, bella, geſta, fa-

ci-

cinora, clades, triumphos, ipse singulorum Regum, Principum, aliorumque in dignitate positorum virorum stirpes, cognationes, affinitates, jura, successiones noverat optime, callebat exquisitissime, & melius forsitan accuratiusque, quam sua sit privato cuilibet nota familia, quam suum sit cuique genus compertum. Absolvam brevius: vix aliquid ex toto amplissimo eruditionis ordine afferri poterat, quod illi novum & inauditum evaderet, quod non immo esset illi perspectum prorsus exploratumque.

Hæc me, quamvis ingentia & sublimia, de APOSTOLO ZENO prædicantem mentiri non sinit fama ejus eximia, quæ brevissimo temporis intervallo Urbis hujus, ac universæ Italiæ fines integros prætergressa, & per plurimas, omnes immo Europæ regiones longe lateque diffusa, absentes pariter ac præsentes, alienos pariter ac domesticos, exteros pariter ac finitimos in unius hominis singularem admirationem traduxit, ut merito ipsum possimus dicere, quemadmodum virum quemdam præstantissimnm dictum legimus,

Ἀςεροπὴν γάμς πείρασι λαμπομένην.

Quæ est enim Europæ Urbs, in qua non resonet ejus nomen, præconiis non extollatur ingenium, studiosi conatus non celebrentur, eru-

di-

ditionis copia & amplitudo non suspiciatur ? Id autem quantum sit honoris atque existimationis fastigium, vel ex eo intelligitis, Auditores, quod paucis admodum, & præclarissimis solum quibusdam viris datum sit illuc aliquando tandem pertingere: quam vero & cito & certe illud APOSTOLUS ZENUS fuerit inter ceteros consecutus, attendite. Quamquam etenim non ausim dicere, quod de Tito Livio Romanæ Historiæ Scriptore Principe narratione certissima circumfertur, e longinquis ac semotis valde regionibus Romam profectos fuisse nonnullos illustres viros, ejus nominis fama pertractos, ut tantopere celebratum hominem cominus intuerentur (ne quid honorificentius, quam verius, videar de isto enunciare;) affirmare tamen non ambigo, neminem fuisse, vel mediocriter in re literaria versatum, qui ad nostras oras appulsus, ad eum semel, iterumque, ac sæpe invisendum non se contulerit, ut eruditissimo ejus colloquio frueretur; neminemque ferme ab eo recessisse non maximopere admiratum hominem de rebus plurimis & variis subinde propositis tam promte & facile, tam dilucide & copiose, tam ornate & exquisite verba facientem. Sed & præstabilius forte aliquid dicam, ac vere dicam, continenter ad eum missas fuisse a clarissimis

to-

totius pene Europæ viris epiſtolas, quo egregios ſtudiorum ſuorum conatus, operumque edendorum præclara molimina cum ipſo communicarent; atque ab eo pro rerum diverſitate vel optima conſilia reciperent, vel opportunis monitis inſtruerentur, vel occulta quædam & abdita mutuarentur eruditionis ſubſidia. Neque res cujuſpiam ſpem & vota fallebat, quin ſingulorum ſpem & vota expleret abunde. Immò quemadmodum præteritis olim temporibus factum fuiſſe memoriæ proditum eſt, ut ad D. Hieronymum in Orientis partibus domicilium habentem, veluti ad ſacræ doctrinæ oraculum, ex ceteris terrarum orbis partibus dirimendæ ac explicandæ deferrentur ſacrorum librorum quæſtiones; & in ſapientiſſimi viri maximique Doctoris ſententia omnes acquieſcerent: ita ſimile quippiam ætate noſtra factum deprehendimus, ut ad APOSTOLUM ZENUM hac in Urbe degentem, ceu ad arbitrum, ex permultis Europæ regionibus deducerentur exorta inter literatos viros diſſidia; atque ipſo doctiſſimo & æquiſſimo judice contentiones omnes penitus tollerentur, omniaque partium ſtudia ceſſarent. Scilicet, quemadmodum in ſacris literis apud Orthodoxos omnes Doctores magnum fuit Hieronymi nomen, auctoritas, & judicium: ita in profanis literis apud

apud quamplurimos Europæ eruditos homines APOSTOLI nomen, auctoritas, & judicium videtur maximo in pretio fuisse. Hoc autem in munere, utique satis arduo perdifficilique, præstando sic se gessit semper, mirifice sic semper excelluit, ut non solum ingenium in rebus plurimis probe versatum, plurimis cognitionibus imbutum cumulatissime, ad omnia aptum & expeditum ostenderit; sed etiam in re odii & invidiæ plenissima belle composita sibi ipsorum dissidentium animos conciliaverit.

At honorificentissimam hanc plurimorum hominum de APOSTOLO ZENO præclare sentientium concordiam uberius multo & locupletius, atque omnium instar testatam fecit magnus ille Cæsar, & summus Imperii Princeps CAROLUS VI. qui, cum de seligendo præstantissimo viro, cui utrumque Cæsarei Poetæ & Historici munus committeretur, esset valde sollicitus, hujus pervulgata existimatione permotus, hunc censuit ceteris omnibus præferendum, ac multiplici cum honore jam triginta circiter abhinc annis Cæsaream in aulam vocandum. Insigne hoc dubio procul & satis gloriosum hominis privati fastigium: multo tamen ad laudem ejus illustrius atque speciosius est, non ipsum fortuito eventu, vel, ut fieri

fieri solet, summorum virorum ope interposita, sed unica meritorum vi suisse assecutum; ipsique omnium judicio ita respondisse, ut non æquaverit solum, sed longe etiam vicerit famam omnem, omnemque præconceptam expectationem. Non etenim se prodidit dumtaxat eis ingenii & eruditionis dotibus præpollentem, quibus ad commissa sibi potissima munia obeunda apprime foret idoneus; verum & ad alia plura ac majora, nova & insolita, operosa magis & magis ardua, mentis acumen, maturitatem consilii, prudentiæ vim singularem, incredibilem cognitionem nec paucis, nec levibus speciminibus patefecit. Quid quod præter hæc, pulcherrima alia sui ornamenta omnium oculis exhibens, æquitatem judicii, recti constantiam, virtutis amorem, integritatem vitæ, morum probitatem, oris ac frontis hilaritatem, suavitatem ac venustatem sermonis, virorum omnium aulæ Principum animos sibi devinxit, adeo ut non tantum universis & singulis gratissimus semper extiterit, sed & ipsi CAROLO, optimo ceteroquin hominum æstimatori, fuerit quammaxime acceptus? An non enim certo constat, quemadmodum summus ille Imperii moderator eum non solum existimatione peculiari, sed singulari etiam amore prosequeretur; quemadmodum & privatim & pu-

& publice sæpius significaverit, quantus esset, & quanti faciendus; quemadmodum frequentissime & in rebus gravissimis expediendis ejus consilio, & in capiendis animi oblectationibus ejus colloquio uteretur? An non omnino compertum est, multiplicibus his benevolentiæ significationibus beneficentiæ significationes totidem accessisse, cum & ipsum eximiis muneribus sæpius ornarit, & ipso pro aliis petente (noverat quippe eum ob animi sui integritatem nihil, nisi quod rectum & æquum esset, petiturum) nec lectis libellis supplicum, neque audita supplicum caussa, omnes votis compotes sæpe dimiserit? Verum utriusque suæ erga privatum hunc hominem & benevolentiæ & beneficentiæ potiora argumenta tunc præbuit invictissimus Cæsar, quando ipsum, regionum utique illarum vitio, crebris adversæ valetudinis incommodis conflictari prospiciens, post annos ferme undecim, ægro licet animo, maluit eum ad patriam Urbem reverti, ac sub alio cælo abesse incolumem, quam illic frequentissimis obnoxium morbis, & in perpetuo vitæ discrimine constitutum versari. Quemadmodum autem discedentem ex aula beneficiis innumeris cumulavit: ita jam absentem ac patriæ restitutum immemor non neglexit; quin velut præclare emeritum militem

haud

haud exiguo perpetuo ſtipendio donavit. Quod præſtare numquam omiſit poſt Patris obitum ad extremum uſque hujus diem auguſtiſſima Hungariæ & Bohemiæ Regina, jam ad Imperii dignitatem evecta, Patris exemplum plane ſecúta, patriiſque curis ſuſceptis, ne videlicet tanti Viri merita, ſibi etiam probe perſpecta, digno præmio deſtituerentur.

Quid tamen ego ad hujus inclyti Viri celebrandam eruditionem extranea tot diutius perſequor argumenta? Nonne argumenta alia intima ſuppetunt, quæ ſingularis eruditionis ejus præſtantiam melius multo ac certius perſuadent, ſive Muſæum ab ipſo collectum, ſive inſtructa ab ipſo Bibliotheca, ſive opera plurima ab ipſo publicam in lucem producta? In illo cernere erat ſpecioſiſſimum vetuſtarum rerum theſaurum, in quo non numiſmatum varietatem maximam & copiam uberrimam, ſed accuratiſſimam collectionem ac ſeriem exquiſitiſſimam mirareris, quodque non rerum ipſarum, ſed raritatis potiore pretio æſtimares. In illa ſpectare licet librorum pulcherrimam ſupellectilem, quæ tota erat domus ejus ſupellex, ipſa tamen Attalica ſupellectili nobilior atque locupletior, qua maxime & unice gloriabatur: eamque tam belle, tam apte, tam miro ordine concinnatam ac digeſtam, ut non in-

ingentem voluminum multitudinem, sed eximium potius delectum obstupescas, eamque & privati hominis facultatem excedere, & cum magnificentia Regia certare decernas. In utroque autem pronum fuit semper cuivis & ejus laude dignam industriam ac studium agnoscere, & præconiis amplioribus extollendam ejus scientiam atque eruditionem suspicere; ita ut vel doctissimi quique professi fuerint, utrumque hoc nonnisi a summo viro potuisse præstari. Quid vero dicam de editis ab ipso operibus, tam multis, tam variis, in quibus omnibus & singulis, sive res, sive verba, sive stilus, sive ordo, sive claritas, sive facilitas, sive sententiæ, sive ornamenta inspiciantur, vulgare nihil, nihil exile, nihil incultum, demissum nihil; sed pulchra omnia & excelsa, omnia gravia & elegantissima, sublimia omnia & perpolita, absoluta numeris omnia, omnia miranda.

At hic etiam atque etiam rogo vos, Auditores, date mihi hanc veniam, ut negotiosum valde munus caute declinans, neque eorum numerum vobis percenseam, neque suscepta in singulis argumenta vobis subjiciam, ne præter temporis modum excurrat oratio. Unum dicere sit satis, cum ab ipsa adolescentia ineunte ad ultimam usque senectam in elucubran-

dis operibus, quæ publici juris faceret, ſtrenue ac naviter deſudaſſe. Prætereo igitur haud pauca inſignium auctorum opera, quæ e Gallica lingua in Italam noſtram tranſtulit, aliorum ita utilitati proſpiciens, ut pluribus eſſent profutura. Nihil etiam conſulto dicam eorum, quæ vix adoleſcentem ingreſſus ætatem ligata numeris oratione conſcripſit, typiſque mandavit; cum ea, velut provectiore ætate minus digna, jamdiu tanquam ſua agnoſcere detrectaverit (quemadmodum & Tullius de Inventione libros ſimili ætate exaratos, ceu grandiori ætati minus conſentaneos, reſpuebat:) quamvis alioquin haud obſcure maturioris ingenii conatus majores præſtantioreſque fœtus portenderent. Verum firmioribus annis elaborata ab ipſo poemata, modis muſicis concinenda, ea ſunt, quorum ſingula dici poſſunt

.... mirabile viſu
Cælatumque novem Muſis opus ...

univerſa autem ob honeſtatem, gravitatem, ſublimitatem, atque eruditionem multiplicem, ſive ſæpius publice exhibita cum Viennæ in Auſtria præſertim, tum in aliis Italiæ & Europæ Urbibus, ſive mandata prælo, & late longeque propagata, ſummiſque audientium & legentium plauſibus ſemper excepta, incredibilem

lem ei claritatem nominis pepererunt. Sed potissimum ac facile principem inter ejus opera locum sibi vendicant illa volumina, in quibus modo unius, modo alterius, multorum modo; modo singulorum hominum in literaria republica valde præstantium exquisitissimam narrationem instituit; eorum nomina, familias, patrias, ætates, gesta, scripta, decora, dotes, merita ita accurate persequens; nihil ut ad rei difficillimæ perfectionem desideretur. Id autem facinoris fatebitur profecto quisque nemini fortassis omnium debuisse in mentem venire, neque ab alio quoquam fortassis suscipiendum fuisse, quam ab hoc eruditissimo viro, cui nullus auctor erat ignotus, qui omnium judex optimus esse poterat, ut alios ab aliis discerneret, atque singulorum merita probe comperiens, æstimaret singulos, quanti valerent. Quod cum præstitit, quot recondita, obstrusa, & a communi hominum cognitione procul seposita patefecit! Quot vetustate nimia, aut diuturnitate temporis tenebris obruta, vel obruenda deinceps æternam in lucem perduxit! Quot oblivione prope contrita, vel certe in posterum absumenda a luctuosissimo interitu vindicavit! Nos igitur tot tantorumque beneficiorum effecti compotes, & futurorum omnium seculorum homines eadem beneficia

percepturi, immo literaria tota respublica huic præclarissimo viro & tam emerito bonarum artium cultori plurimum se debere profiteatur, qui, quemadmodum impigro assiduoque labore ac studio ad amplissimam sibi eruditionis supellectilem comparandam se totum tradidit, ita pari contentione & industria ad eamdem non in propriam utilitatem atque honorem, sed in publicum dumtaxat decus & commodum conferendam totus semper incubuit.

Verum enimvero eruditioni tantæ, unde maximum hujus Viri decus effluxit, quod unum ad speciosissimam atque perhonorificam commendationem ejus sufficeret, alterum eximiæ pietatis ornamentum accessit, quod præconiorum ejus copiam amplificat. Mirum sane ac memorandum! Homo, qui ita ingenio multiplicibus studiorum generibus excolendo totus erat addictus, ut negotiosis officiis omnibus, civilibus curis, politicisque occupationibus se subduxerit, ut numquam vel honestissimo otio indulgeret, numquam vel ingenuis oblectationibus animum recrearet, ut brevissimam ipsam nocturnam quietem literariis exercitationibus interciperet, ut vel ipsa, ferme dixerim, ejus respiratio a studio sejuncta non videretur: homo, inquam, hujusmodi in excolendam simul pietatem, virtutesque animi comparandas ita

se

ſe totum impendit, ut hac una cogitatione, cura, & ſollicitudine cenſeretur obſtrictus. Scilicet, quemadmodum firmiſſime ſibi animo propoſuerat, ut acceptum ſupremi Numinis beneficio præſtans ingenium otioſum non detineret; ita ſeveriſſimam ſibi legem indixerat, ut id, ad quod Chriſtiano homini potiſſimum eſt adnitendum, præpoſtere non omitteret. Quapropter (etſi forte cuipiam incredibile ſit futurum, quod dicturus ſum, minimo tamen loqui vereor, quod in ore multorum eſt, quod locupletiſſimo plurium teſtimonio firmatur, quod, ſin de aliis, de hoc ſaltem uno enarratum fidem integram promeretur) conſueverat ipſe ab operoſa ſtudiorum ſedulitate haud exiguam cujuſcumque diei & noctis partem decerpere, in divinis recolendis myſteriis, in evolvendis ſacris aut piis libris, in effundendis ad Deum precibus inſumendam; immo præclaris his pietatis operibus quotidianas ſtudiorum ſuorum rationes auſpicabatur, intermiſcebat, abſolvebatque. At quam defixa mente, quo cordis affectu, quanto caritatis ardore divinis rebus vacabat, impoſitaque ſibi pietatis opera peragebat! Ipſa frons, oculi, vultus denique totus, miro modo compoſitus, religione plenos ſenſus animi teſtabantur: quodque non ſine admiratione ſæpius plurimi conſpexere, in

æquiſſimam ejus laudem abunde prædicare non ambigunt. Hinc, quamdiu ei per ætatem morborum expertem licuit, in ſacris ædibus frequens erat, totus intra ſe abditus, ſummaque animi demiſſione res ac laudes divinas proſequebatur, ſacriſque ritibus ſeſe expiabat. Quando autem aliis atque aliis, & ſubinde quidem ingraveſcentibus, morbis cœpit conflictari, gravioremque ac productiorem bonæ valetudinis pati jacturam; adeoque illi vetitum eſſe cœpit ſacra loca luſtrare, & publice congrua Religionis officia exercere: votis ſuis infenſam neceſſitatem æquo animo ferens, idipſum repetitis privatis precibus, intentioribus amoris actibus erga Deum, diuturnioribus vulnerum Chriſti meditationibus (cujus e cruce pendentis imaginem ob oculos poſitam ſemper habebat) frequentioribus erga Deiparam ac plures Superos cultus obſequiis uberius multo ac melius forte ſupplebat.

Cui intermiſſo numquam religionis ſtudio, numquam deferveſcenti pietatis ardori acceptas arbitror referendas plurimas illas, non fucatas & fallaces, ſed veras germanaſque virtutes, quæ, ſicut intime vigentes in ipſo mirandum in modum ejus animum exornabant, ita ſe prodentes identidem, ac raris fulgoribus coruſcantes, æquiſſimam aliis admirationis cauſ-

ſam

ſam præbebant. At, cum ad exitum perducenda videretur oratio, quæſo vos, Auditores, eam paulisper adhuc ab exitu revocari patiamini, ne videlicet hujus viri potiora decora, amplioribus efferenda præconiis, integro a nobis ſilentio prætermittantur. An non enim commemoranda ſaltem illa conſtantia, qua tot tantaque adverſæ valetudinis incommoda perſerebat, cum per annos aliquot & ſæpe noctes inſomnes traduceret, & novis quotidie ferme doloribus torqueretur, & ad motum impotens cogeretur intra domeſticos unius aulæ fines conſiſtere; omnia illi alioquin eo titulo moleſtiſſima, quod ab eis, quas cupiebat maxime, literarum & pietatis exercitationibus, quantum vellet, prohiberetur? An non indicanda ſaltem ſumma illa animi moderatio, qua, licet ſui & aliorum optime conſcius, tamen & ſua flocci faciens, aut inaniter non oſtentans, & aliena non deſpiciens, aut, quantum vere poſſet, extollens, ſeveriſſima loquendi ſcribendique ratione, æque ſemper & aliorum contemtui ac dedecori, & ſui cuicumque jactationi ac gloriæ parcebat? Sed & in altero maximopere admiranda occurrit ejus animi moderatio, quod nihil minus, quam ob eruditionis ſuæ copiam, ob ſuæ ſcientiæ amplitudinem, ob ſummorum virorum præco-

nia, plausus, atque acclamationes turgescens; sed totus semper ad lenitatem suavitatemque compositus, dedignaretur neminem, blande ac humaniter omnes exciperet, omnibusque, quas posset, verbo factisque suppetias adferret, nullo umquam invidentiæ sensu commotus, quasi splendorem suum ex aliorum claritate imminutum iri extimesceret. Quid loquar de integerrima illa vitæ ratione, qua non a gravioribus solum piaculis, sed a noxis etiam levissimis, quantum miserrima humanæ infirmitatis conditio patitur, sibi semper cavebat, in id jugiter ac sedulo incumbens, ut juxta divinæ legis præcepta, juxta saluberrima evangelica monita, juxta præclara Sanctorum vestigia se suosque mores componeret? Mirum, quanto venerationis sensu prosequeretur universa & singula Orthodoxæ Religionis arcana, a quorum curiosa & audaci perscrutatione abhorruit semper, semperque abhorrendum cuique censebat, nihil umquam proferens ipse, nihil ab aliis libenter audiens, nisi quod juxta Pauli præceptum ostenderet altissimis rebus illis, & a toto naturæ ordine immensum sepositis captivum plane intellectum humillimeque submissum. Mirum item, quemadmodum æternas fidei morumque veritates eo lubentius audiret, quo rudiori sermone enunciabantur, hos-

hosque tantum, quotiescumque integrum illi erat, divini verbi præcones consulto perquireret, ne scilicet ob studiosa nimis eloquentiæ ornamenta ab eo, quod maxime intererat, animus distraheretur. Quam etiam demississime ei, quem sibi suæ conscientiæ moderatorem selegerat, subdebatur, quam plene ac promte in omnibus ab ejus ore nutuque pendebat! Quid referam, quam sæpe, & liberalitate quanta opitularetur miseris ac inopia vexatis quam sæpe & quantum ad res sacras & pios usus elargiretur, nullo divitiarum studio abreptus, nulla illectus cupiditate; quam demum caute id totum præstaret, ut vel ii ipsi, qui beneficia perciperent, minime agnoscerent? Mirum denique & valde mirandum, hominem hunc, tot eximiis virtutum decoribus locupletem atque emicantem abunde, ita de se tenuiter & abjecte sensisse, ut, cum magnus ille vir, & meritorum optimus æstimator, GEORGIUS Cardinalis Cornelius Patavinorum Antistes vellet eum suæ Ecclesiæ Canonicis accensere (qui honoris gradus parvi certe ducendus non est, quandoquidem ad potiores alios aditus esse solet) ipse constantia summa renuerit, ratus se & dignitatis tantæ prorsus immeritum, & dignitati tantæ consentaneis dotibus destitutum. Quod cum ita sit, alias

nem-

nempe hominis hujus virtutes eximias & præclaras ex ejus singulari pietate fuisse profectas, cum in aliis , tum in hoc viro & certe & optime comprobatum agnoscimus Pauli dictum, pietatem ad omnia utilitatem afferre , idest, perhibentibus nonnullis Sanctis Doctoribus, pietatem fontem esse virtutum omnium, esse virtutum omnium parentem.

Quemadmodum autem amplissimæ viri hujus eruditionis maximo argumento sunt profana plurima opera ab ipso exarata; ita, sin virtutum omnium, pietatis saltem, quæ ceterarum princeps in illo fuit , pulcherrimum ac certissimum monumentum extant extabuntque perpetuo sacra poemata, ab ipso, Superis magis , quam Musis faventibus (si ita loqui licet) elucubrata, majestate tanta rerum, sententiarum tanta ubertate, tam exquisito verborum delectu, tam apto ordine concinnata , tantæ gravitatis plena, tanta suavitate conspersa, ut non solum cumulatissimam auctoris pietatem significent , sed etiam in omnium legentium vel audientium animis religionis sensum, studium virtutis, pietatis ardorem excitent , foveant , inflamment. Quod adeo est verum, ut in Cæsarea aula Viennensi, posthabitis insignium aliorum Auctorum similibus poematis , quod minus pietatem redolerent , una APOSTOLI

ZE-

ZENI ſacra poemata Iterum ac frequentius fuerint adhibita, in annuis quibuſdam celebritatibus concinenda, ipſo CAROLO primum, ac ceteris ſumma ſemper admiratione ac plauſu probantibus. Quid, quod vel ipſe, quamvis de ſe cautiſſime ſemper locutus, & a qualibet laudatione ſui ſemper alienus, cetera omnia a ſe typis prodita veluti negligens, hoc unum opus, occaſiòne loquendi data, modeſtiſſime præſeferre conſuevit?

Utramque igitur hanc ſpartam, literarum ſcilicet atque eruditionis, pietatis & virtutum, ornandam ſibi propoſuit APOSTOLUS ZENUS, atque ita quidem, ut neutri totus deeſſet: diuturnas quippe ſtudiorum exercitationes excipiebant frequentiſſima pietatis opera; immo intentiores inter librorum meditationes ad Deum & divina mentem identidem extollebat, non tam certe ſollicitus, ut ingenium imbueret literis, quam ut virtutibus animum exornaret, próbe intelligens, nihil profuturam ſcientiam omnem, & ingenti ſtudio partas cognitiones pulcherrimas, niſi fuerint cum probitate morum & virtutibus copulatæ, atque harum ope ad beatæ vitæ conſecutionem proficiant. Quapropter cum in hoc utroque præclarus extiterit vir iſte; atque iccirco, quia ingenio & literis maxime excelluit, pietate ac vir-

virtutibus maxime præſtans evaſerit : & fuit merito ſemper, & merito ſemper erit ſuſpiciendus utroque hoc titulo, utroque hoc titulo celebrandus. At hoc ipſum nimirum eſt, quod omnes perturbare debet maximopere, quod omnes debet triſtitia ſumma perfundere, quod acerbiſſimum omnibus reddere debet ejus interitum, tot eximia decora, immortalitate profecto digna, unico mortis ictu disjecta, protrita, abſumta fuiſſe : adeo ut fas mihi ſit uſurpare, quod præ nimio animi ſenſu & dolore de altero minus fortaſſis eximio viro fuit olim prolatum:

Καὶ καλὸν εἴ τι λέλειπτο μετ' ἀνθρώποισιν, ὄλωλε.

Unum nihilominus in tanta æquiſſima & publica dolendi cauſſa præſto eſt doloris ſolatium, ſpes ſcilicet ipſum (quem Deus multis variiſque modis probavit, ut vel a minutiſſimis culparum ſordibus expiaret, & ſe dignum efficeret; qui omnia pertulit ſemper incredibili mentis tranquillitate, jucunditate cordis, ac vultus hilaritate, promto ſemper animo ad plura, ad graviora, ad omnia libentiſſime perpetienda; qui jamdiu vitæ in terris actæ pertæſus, adventantem ſibi extremum diem minime extimeſcebat, ſed præſtolabatur, ſed exoptabat, non ut diutinas atque moleſtiſſimas ægritudines de-

declinaret, at salubriore certe consilio, ut immortalis alterius vitæ, cujus ardore flagrabat, suavissima voluptate quamprimum perfrui sibi liceret; qui integro præsertim ægrotationis hujus temporis tempore, quam sibi postremam veluti præsentiebat, cogitationibus & curis abjectis ceteris, totus mente defixus, corde totus erga Deum & res divinas affectus, longe plurimas, ne dicam omnes, dierum singulorum horas multiplicibus pietatis exercitationibus transigebat, idque unum curabat sedulo, ut opportune omnia sibi Catholicæ Religionis mysteria & præsidia exhiberentur; qui speciosissimis his pietatis & virtutum operibus majorem morti proximus, quam vivens umquam, admirationem sui in omnibus excitavit; qui demum nocte nuper præterita tot vexatam morbis, tot confectam incommodis senectutem, non sibi quidem, sed nobis inopinata, placidissima nocturni soporis morte complevit) ipsum, inquam, spes est, summum illud æternæ felicitatis bonum vel jam fuisse assecutum, vel brevi esse consecuturum. Sed & me, qui exili nimis, rudi, & impolita oratione laudes ejus ac præcelsa merita sum persecutus, hæc recreat firma persuasio, scilicet futurum posthac, ut, quemadmodum ipse clarissimorum aliorum virorum dotes & facinora immortali-

ta-

tati mandavit, ita plurimi inter se pro sempiterna meritorum ac gestorum ejus gloria, prædicatione, literis, monumentisque decoranda decertent, quo ejus nomini maximus & amplissimus apud seculorum omnium posteritatem honor permaneat. Dicebam.



